



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXXVIII. Vt ieiunantium cibus praetermissus pauperibus erogetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

rum operum exercitium alios ab errore suo conuertat, iuxta illud quod ait apostolus: *Quoniam si conuerti fecerit* Iacob. 5. *quis peccatorem ab errore viae suae, saluabit animam eius a morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.* Sexto, per caritatem, iuxta illud: *Caritas Dei cooperiet multitudinem peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum.* 1. Pet. 4. Septimo, per poenitentiam, iuxta quod ait Dauid: *Conuersus sum in aerumna mea, dum configitur spina.* Psal. 51.

XXXVII.

Ipsa autem quadragesima cum summa obseruatione custodiri debet, vt ieiunium in ea, praeter dies dominicos, qui abstinentiae subtracti sunt, nullatenus resoluatur; quia ipsi dies, decimae sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transire debemus: nulla enim in his occasio sit resoluendi ieiunii, quia alio tempore solet ieiunium caritatis causa dissolui, isto vero nullatenus debet, quia alio tempore ieiunare in voluntate & arbitrio cuiuslibet positum est: in hoc vero non ieiunare, praecipuum Dei transcendere est: & in alio tempore ieiunare, praemium abstinentiae acquirere est: in hoc vero, praeter infirmos aut paruulos, quisquis non ieiunat, poenam sibi acquireret; quia eosdem dies Dominus per Moysen, & per Eliam, & per semetipsum sacro ieiunio consecrauit.

XXXVIII.

Diebus vero ieiunii eleemosyna facienda est, & cibum siue potum, quo quisque vti debuit, si non ieiunaret, pauperibus eroget; quia ieiunare, & cibos prandii ad coenam referuare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

XXXIX.

Solent plures qui se ieiunare putant, mox vt signum audierint, ad horam nonam manducare; qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si manducauerint antequam vespertinum celebretur officium: concurrentum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus, siue vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam conuenire non valeat, aestimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium absoluere debet.

Concil. Tom. 25.

Ttt ij